

Dissertatio inauguralis sistens theses medico chimiques de vero naturae et artis principio, pro medicina catholica ... / autor Joh. Sam. Schvertner.

Contributors

Schvertner, Johann Samuel.

Publication/Creation

Rintelii (Rinteln]) : Typis Joh. Godofr. Enax, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/db846khe>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS

Sistens Theses MedicoChimicas

De

VERO NATURÆ ET
ARTIS PRINCIPIO,

Pro

MEDICINA CATHOLICA,

Morborum domitrice,

In Regia Sueco-Schaumburgica ad visurgim Academia

Inclytæ Facultatis Medicæ indultu

PRO LICENTIA

Honores ac privilegia DOCTORALIA ritè capeffendi

SUB PRÆSIDIO

DN. JUSTI HENRICI MANGOLD,

Med. ac Philosoph. Experim. Doctor. ac Professor. P. Academiæ

Senioris, Facultatis Medicæ jam Decani

Hæreditarii in Obern-Urff, Zwesten & Wentzigerode,

In Auditorio Majore

D. 5 Aug. An. 1730.

MAGNIFICI AC AMPLISSIMI DN. PROFESSORUM

Ordinis examini

AUTOR

JOH. SAM. SCHVERTNER, *Posonio Hungarus,*

Philo-Chymicus, submittit.

RINTELLI, Typis JOH. GODOFR. ENAX, Acad. Typogr.

L. Boltan

VERO NATURAE ET
ARTIS PRINCIPIO
MEDICINAE CATHOLICAE
PRO LICENTIA
ON. JUSTI HENRICI MANGOLD,
IN UNIVERSITATE
OFF. SAM. SCHWERTNER, Poetae
KATHELYN, Typ. JOH. GOSCHKE, in A. Vind. Typogr.





I. N. 7. C.

THES. I.

Putrefactio tartari & carbonum ligneorum tanquam concretorum succorum operatione simplicissima absoluitur, non autem inservit elaborationi universalis medicinæ.

THES. II.

Putrefactio tartari & carbonum philosophicorum est operatio difficillima, & clavis est ad medicinam universalem.



THES. III.

Centrum Naturæ, five Sal Naturæ primordialiale est essentia Salis Naturæ, simplicissima dulcissima.

THES. IV.

Centrum Naturæ fermentali motu determinatum, est Essentia Salina corrosiva.

THES. V.

Inter acidum & alcali nulla intercedit differentia ratione originis, sed differunt respectu fixitatis & elasticitatis, chymicè.


THES. VI.

Spiritus Naturæ & Sal Naturæ differunt vt causa & effectus.

THES. VII.

Vocabula Nether & Borith *Jerem. cap. 2. v. 21. & 22.* non sunt naturaliter ac genuinè versa, cum prius non nitrum sed sal lixiviosum Ægyptiorum, Borith autem non saporem, sed herbam fullonum usitatam denotat.

THES. VIII.



THES. VIII.

Vaticinium trium dierum apud *Hoseam* cap. 6. v. 2. in sensu prophetico, tempus captivitatis ac liberationis Judæorum accuratissimum ex Babylone solum exprimit.

THES. IX.

JCti Theologorum sententiæ affirmativæ rationes, quoad operationes lamiarum magicas ab ipsis omni jure expectant.

THES. X.

Materia ex qua Medicina Universalis, aliâs prima dicta, utpote vilissima, non est in vulgus divulganda.


THES. XI.

Inter arma, quærenda pax per arma, sic alludente Helmont. in Tr. Vita brevis.

THES. XII.

Maximæ Divitiæ, non sunt naturaliter quærendæ apud Divites sed Pauperes.

THES. XIII.



THES. XIII.

Datur post Medicinam Catholicam ejusque vim anodynam naturæ convenientissimam, etiam anodynum particulare insipidum non spernandarum virium, absque contraindicatione operans.

THES. XIV.

Medicina universalis fit ex Triuno Sulphure Triuno $\propto$ rio, & Triuno Θ c.

THES. XV.

Omnis salis edulcoratio naturalis instituitur per similia naturalia.


THES. XVI.

Deliria febrium ardentium malignarum, non æque feliciter per adhibita invertentia & præcipitantia, quàm per anodyna ex regno minerali symbolica curantur.

THES. XVII.

Medicina universalis est per Δ em coagulata ∇ a, & per hanc coagulata ∇ am, coagulatus spiritus.

THES. XVIII.



THES. XVIII.

Fundamentum laboris Alchymici basin mathematicam in proportionem numerorum arithmeticoꝝ Scil. a N. 1 ad 9, continet: ulterior numerandi modus multiplicationem effectivè respicit ut 1 ad 1000.

THES. XIX.

Liquor Alcahesticus Paracelsi & Helmontii non est menstruum quoddam solvens, sed via ipsa vel methodus concreta naturaliter solvendi.

THES. XX.

Illi, qui claustra Naturæ absque debitis clavibus referare satagunt, lateres lavant.

THES. XXI.

Claves concreta Naturæ referandi, non sunt salia acida corrosiva, nec alcalica, nec hoc nec illud menstruum, sed sola fermentatio philosophica.

THES. XXII.

Fermentatione philosophica resolvuntur
vege-



vegetabilia, secundum totam eorum substantiam in essentiam suavissimam.

THES. XXIII.

Non tantum vegetabilia imò & animalia mineraliaque per fermentationem philosophicam essentificari debent.

THES. XXIV.

Via naturalis reclusionis corporum non in nuda solutione, sed in solutione & coagulatione partium, ex dispositione solutionis separatarum, consistit.

THES. XXV.

Omne concretum resolvatur per id ipsum, ex quo constat.

THES. XXVI.

Sal Tart. fixum & spiritus vini tanquam duo extrema, sine medio nullam conjunctionem admittunt genuinam, hinc & Tinctura Θ is Tart. per spiritum vini præparata, est corpus sine anima & spiritu.

THES. XXVII.

THES. XXVII.

Vera Θ is Tartari Tinctura ex legibus Naturæ per proprium suum spiritum acido Volatilem præparari debet.

THES. XXVIII.



Omnes Tincturæ martiales consuetô modo elaboratæ sunt meræ solutiones σ rtis partiales, quæ in officinis humani corporis, in inutilem ac damnosum crocum præcipitantur.

THES. XXIX.

Vera Tinctura martis omniumque metallorum requirit separationem in Volatile & fixum sine separationem quarundam fæcum.

THES. XXX.

Omnia sic dicta bezoartica, cachectica, antihectica & diaphoretica ex mineralibus & metallis more solito præparata, sunt cadaverosa ac emortua corpora, quæ enchirisi certum pristinum corpus reduci possunt.



THES. XXXI.

Naturaliter verò elaborata diaphoretica &c. nec reduci possunt, nec etiam emortua sed potius per spiritum et aquam regenerata corpora sunt.

THES. XXXII.

Tinctura Dæ coërulea est potius Tinctura q̃neris dicenda, vera enim Tinctura Dæ, necessario debet esse rubicunda.

THES. XXXIII.


Consueta edulcoratio spirituum corrosivorum per spiritum Vini est profectò operatio insulsa, quia ab uno extremo ad alterum nullus, nisi per media, datur transitus.

THES. XXXIV.

Vera edulcoratio spirituum prædictorum, non fit, nisi per consensum totius Naturæ.

THES. XXXV.

Spiritus corrosivi vulgariter dulcificati præcipitant solutionem Dæ per spiritum
nitri



nitri factam, & cum alcalibus mixti ebullitionem, prout alia acida, causant; Quod contrà spiritus verè dulcificatus non efficit, ille enim nec præcipationem nec ebullitionem causat, multò minùs patitur.

THES. XXXVI.


Consueta edulcoratio mercurii vivi, quia tantummodò distractio acidi corrosivi in mercurio sublimato contenti est, mihi merè ridicula videtur.

THES. XXXVII.

Vera edulcoratio mercurii vivi, in qua totum regnum naturæ, quod in suo centro (nisi per fermentationem degeneret) dulcissimum est, concurrit, est res altioris viæ.

THES. XXXVIII.

Mercurius dulcis vulgaris in corpore humano maximo cum damno ægri reviviscit, & noxam infert, quod à verè dulcificato ꝑrio non timendum.



THES. XXXIX.

Tartarus Vit. ex oleo Vit. & $\ominus$ Tart. paratus, est labor violentus, potentiam Vit. connatam destruens, & in Sal neutrum, quod parum vel nihil in recessu habet, abit.

THES. XL.



Tartarus Vit. juxta viam naturæ paratus, ob conservationem partium essentialium Vit. ex dispositione elaborationis, toti naturæ humanæ homogeneus & seminaliter dulcissimus fit.

THES. XLI.

Sal Volatile oleosum Sylvii pro diversitate Medicorum vel officinarum, diversimodè etiam paratum non multum in recessu habet, quia minimè genuinam conjunctionem oleorum destillatorum, spiritûs urinosi & spiritûs Vini ~~flare~~ arguit.

THES. XLII.

Sal Volatile oleosum verum, ex acido minerali animali & vegetabili, vt & ex Volatili
ani-



animali vegetabili & minerali, more philosophico conflatum, est excellentissimum remedium in febribus intermittentibus, furore uterino, motu epileptico, passione colica, aepsia & cachexia, &c.

THES. XLIII.

Omnia concreta materialia, fiunt ex unico spermate, scilicet causa formali ac materiali, tanquam principiis constitutivis, id est spiritu & aqua, & in illud ipsum extrema resolutione iterum resolvuntur, sive sint animalia, vegetabilia aut mineralia.


THES. XLIV.

Regnum vegetabile & animale philosophicè cum aqua quadam minerali combinata, metallicam formam, quæ Oro respondet, induunt.

THES. XLV.

Animalia mediantibus vegetabilibus per mineralia, vegetabilia per animalia mineralibus, & mineralia mediantibus vegetabilibus animalibus, vivunt, augentur & crescunt.

THES. XLVI.

**THES. XLVI.**

Natura ejusque sollicita intentio, Medico semper pro norma inserviat.

THES. XLVII.

Distinctio qualitatuum herbarum in calidas & frigidas earumque gradus, ut in primum secundum, tertium & quartum, in natura nullum habet nequè invenit fundamentum.

THES. XLVIII.


Particularia semina referunt se ad universale & universale causat particularia.

THES. XLIX.

Aqua fontana per fermentationem non alterata coquendo exhalat, sine remanentia alicujus sedimenti.

THES. L.

Ex Aqua fontana verò vel pluviali sine additamento alicujus fermenti, fermentata, separatur, certâ quâdam adhibitâ Enchirisi,
terra



terra unctuosâ, quæ unâ cum fermentata aqua sua, quædam Animalia vegetabilia & mineralia ex se ipsa & absque præcedaneo specifico semine, teste experientia, producit.

THES. LI.

Saturnus Vulg. enchirisi philosophica, in veram lunam transmutatur, sed non lucrosè.

THES. LII.

Conjunctio sive unio naturalis Animalium & mineralium fit per vegetabilia.

THES. LIII.

Vegetabile eodem ordine, quô vitam ingreditur, pro destructione sui utitur.



THES. LIV.

Omnia vegetabilia resolvuntur in mucilaginosam terram & abeunt in suum chaos.

THES. LV.

Ex quolibet vegetabili, spiritus Volatilis Urinosus, prout ex animalibus, parari potest.

THES. LVI.



THES. LVI.

Spiritus Urinæ, Cornu Cervi, Salis armoniaci urinosus, & horum alii, sunt acido-alcalici, minimè verò purè & simpliciter alcalici.

THES. LVII.

Metallorum proprium & adæquatum semen est acidum corrosivum.

THES. LVIII.

Metalla solummodo formâ specificâ externâ, minimè autem materiâ intrinseca sive essentia differunt.



THES. LIX.

Solum acidum corrosivum figit metalla in melius & melius metallum.

THES. LX.

Sal, Sulphur & mercurius communiter pro semine metallorum venditantur: Ast proh! quàm miserrimum semen, dum ea nîl, nisi per acidum corrosivum soluta terra sint, quæ aliam terram nunquam ad speciem metallicam disponunt.

THES. LXI.



THES. LXI.

Per acidum corrosivum, lapis Silicis, in spatio duodecim horarum metallicam naturam, quæ soli aut lunæ respondet, induit.

THES. LXII.

Metalla non tantum per acidum corrosivum vivunt, sed per id ipsum rursus ad primordialitatem reducuntur.

THES. LXIII.

Sal Sulphur & mercurius juxta analogiam philosophicam sumpta, non secundum litteram subintelligenda sunt, sal enim est sulphur & mercurius, sulphur est sal & mercurius, & mercurius est sal & sulphur; Ecce arcanum palingeneseos regni mineralis paucissimis notum.

THES. LXIV.

Totum corpus animale post obitum suum secundum omnes partes in viscositatem, quæ tandem in suum Chaos abit, resolvitur.

THES. LXV.



Elementa hominibus & bestiis sunt communia.

THES. LXVI.

Salia per fermenta partium vel naturaliter vel præter naturaliter, producta, sunt omni jure objecta Medicorum rationalium ac prudentiorum.

THES. LXVII.

Medicus qui intelligit quid salia sint, qualia sint, quomodo fiant, quomodo corrigantur, quid illis superfit, quid deficiat, imò quomodo naturalis crasis



salium in fermentis se habeat, de illo potest prædicari, quod centrum naturæ intelligat.

THES. LXVIII.

Sal in sua natura & essentia nîl aliud est, quàm lumen concretum & concentratum.

THES. LXIX.

Absumpto aëris sale in loco clauso cessat sanguinis fermentatio & animal moritur, ☉ verò propediem restitutô, subitanea fit resectio.

THES. LXX.

Aqua, sale suo carens, vegetabilia non nutrit.

THES. LXXI.

Metalla quàm optime per sua adæquata mineralia in mineralia, & hinc pariter per adæquata Sulphura, in Sulphur, porro per mercurium in mercurium, tandem per Vitriolum in Vitriolum, ultimo verò in mercurium duplicatum, reducuntur.

THES. LXXII.


Verum aurum potabile non ex Auro Vulg. sed meliori cum successu, ex Auro martis præparatur.

THES. LXXIII.

Corpus solis & corpus lunæ de quibus more quorundam Medicorum ac pharmacopæorum essentia vel Tinctura extracta est, semper in spatio aliquot horarum, juxta quantitatem & qualitatem, reduci patiuntur.

THES. LXXIV.

Operatio philosophica in regeneratione corporum nullam separationem admittit, sed totum corpus



pus, juxta pondus à natura conflatum, fumit, & in unctuositatem primordiale reducit.

THES. LXXV.

Omne semen est spirituale, semen enim corporale & visibile est tantum ejusdem subjectum.

THES. LXXVI.

Salia per se, operatione singulari quadam, in vitrum abeunt.

THES. LXXVII.

Circa elaborationem Medicinæ universalis hæc erunt notanda.



- 1) Ut corpus Horizontale metallicum aquâ minerali, quâ corpus in electrum sive minerale reducitur, dissolvatur.
- 2) Ut nequè corpus, quoad partes ejusdem essentielles, nequè menstruum, alteretur.
- 3) Ut corpus illud minerale, per unctuosum aliquod menstruum, resolvatur.
- 4) Ut ex hoc minerali unctuofo, per separationem volatilis & fixi, Salino-Sulphureo-Æriale, tanquam pars volatilis, & Æriali-Sulphureo-Salinum, tanquam pars fixa, separetur.
- 5) Ut hoc volatile & fixum jungatur & figatur.
- 6) Ut per animalia mediantibus vegetabilibus in indeterminatum sal reducatur.

THES. LXXVIII.

Medicina universalis est sal dulce in omni liquore solubile.

THES. LXXIX.

Medicina universalis non est alterabilis, nec etiam



Θibus cujuscunque ſint generis cedit, ſed potius alterata, acida, alcalica & neutra reſtituit, acida vitioſa debellando, alcalica & Θia neutra in ſeminalem dulcedinem reducendo, volatilia figendo, fixiſſima volatiliſando, ſpiritum vitalem armando & ſua anodyna vi placando, abſq̃e contraindicatione, quantum de lege naturæ conceditur, efficaciffimè operando; tantas virtutes præſtat, quantas omnis farrago medicaminum uſualium præſtare non valet.

THES. LXXX.

Ex hac ſcaturigine univerſali nunc ſcaturiunt etiam fontes limpidiſſimi particulares, ſic ut unum requiſitorum ad medicinam univerſalem, in deliriis febrilibus, Cephalæa, lypothimiis &c., efficaciffimè operetur.

CORONIDIS LOCO


Ex Philaleta ſequens modus naturalis ac arcanæ reſolutionis totam rem exprimens, apponitur:

Si centrum æthereum cognoveris, accipe centrum.

Ætheris, & centri quære ſuperficiem,
Junge ſuperficiem centro: Sic æther ab alto
Deſluet in terram, terra polumque petet
Hanc Hermetis avem, ſi multiplicaveris arte,
Totius Arcani Rex eris alchymici.

Qui capere poteſt, capiat.

SOLI DEO GLORIA.



*

*

*

Præcellenti ac Expertissimo

Dn. Doctorando

DN. JOHANNI SAMUELI
SCHVERTNERO,

Posonio - Hungaro,



PRO LICENTIA CUM LAUDE ET APPLAUSU
DISPUTANTIAMICO SUO HACTENUS PER ANNOS
INTEGERRIMO

P R A E S E S



JUSTUS HENRICUS
MANGOLD,Doct. Medicin. & Philosoph. Experimental. Profess.
Hæreditar. in Obern-Urff, Zuvesten & Wenizigerode,

Felicia quæque vovet.

Annus jam vertitur, nî fallor, octavus, cum
consuetudo familiaritatem inter nos adtu-
lerit, ut interea temporis cum Musis commercium
orale creberrimum ac etiam literale nobis fuerit,
cujus



cujus objectum plerumquè fuit Chymia in eaque labores quidam curiosi, V.G. quomodò unum regnum naturæ semper sine læsione virium in aliud transmutari possit, quomodò summè volatilia cum summè fixis uniri, quomodò summè fixa, pro ut carbones, volatilifari, & quomodò summè corrosiva dulcificari debeant &c. quorum Theoriam juxta ac praxim meditati sumus, & modò omni jure, de tantis exprimentis, quæ à Medicis vulgaribus, quorum doctrina solummodo in verbis consistit, nunquam comprehenduntur, gloriari possumus. Tu, prout benè novi, interim labores improbos in multis experimentis adornandis sustinuisti; Cum Ego, juxta labores Academicos, operam meam per annos studio Mechanices indefessus locaverim. Magnoperè itaque gavisus, dum nuperrimè ex Te audiui, Tibi, mi SCVERTNERE, jactis firmiter principiis chymicis theoreticis ac practicis, nunc etiam, in foro Medico supremos petere honores, certum esse, quos Facultas Medica, exantlatis cum maximâ laude ac perpeßis examinibus, Tibi, nunc decrevit. Hinc etiam Tibi singulari Amico ac optime merito de honoribus proximè conferendis animitus gratulor: Insuperquè voveo, velit Deus



*Deus T. O. M. tuæ felicitati, scil. inventis nunc
claribus verè naturalibus pro essentiali rerum na-
turalium & radicali sive seminali reclusionem, imò
ipsâ Medicinâ Catholicâ, quæ revera ut scio, secun-
dum modum ab Helmontio in Tr. Arbor Vitæ de-
scriptum, à Te elaboratur, & hanc felicitatem su-
per addere, ut effectus ex tali Medicina & cæteris
arcanis particularibus tuis. Cura morborum
apprime respondeat, & quidem in solamen mul-
torum egrotantium, quæ Mala domûs sint Mala
rara tuæ, sed Mala rara mea.*

Vale!




Jam Tibi pro merito SCHVERTNE-
RE corona paratur,

Gratulor ex animo, suavis amice
Tibi!

Nobilissimo atque Experientissimo Domino
Doctore hinc tenuibus obsequium
suum testari Eidemque de novo hono-
re Doctorali capeffendo, gratulari vo-
luit, debuit, ejus obstrictissimus

A. M. ROTTMANN, P. E.



* * * * *

Dicitur ut vulgo: *per aspera tendis
ad astra;*

*Sic &, amice, Tibi contigit haud
aliter.*

*Asperius nihil est, quam cum rectè pe-
peristi*

*Doctrinam solidam non aliis studiis.
Hinc quoque nunc SCHVERTNERE,
Tibi donantur honores;*

*De quibus, ut teneor, gratulor
animo.*

Hisce leviusculis, prænobilissimo atque ex-
perientissimo Dn. SCHVERTNERO
amico suo optimo, Doctoris cum ca-
pefferet honores, gratulari voluit

C. D. SCHMID, Theol. C.

pag. 10. Thef. XLI, lin. ult. deleatur: stare.

